



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

tionibus tentationum, ærumnisque infestam alacriter sustinueris.

DECAS VI.

51. Arcentur ab ubere infantes jam grandiusculi. Quos virtus roboravit in spiritu, iis subtrahit Deus, quidquid est tenerioris solatii, & mensam parat solidioribus ex cibis; panis lacrymarum cupidiarum vice apponitur. Quando Joanni conspicuum se dedit pectus zonâ adstrictus, & lampades manum præferens, utique ostendit, se iis offerre lucem, quibus lac & delicias abstulerit; imò lucem accipere ab iis, qui aspera tolerârint.

52. Culpam horrere decet, non pœnam iis debitam. Cur indè tristaris, unde Deus sibi complacet? illud damnas, quod ille probat. Jam nunc opportunum est pati: scates enim amore proprio, atque indè tibi pœna est acerbior, indè amor in Deum remissior; dum scilicet refugis, quod ille cupit in bonum tuum.

53. Mœstitiam suborientem levet spes auxilii proximè adfuturi. Non solet tribulatio assiduò premere, neque ulla est tam severa, quæ non admittat aliquam solatii

latii admixtionem. Nullæ coelum nubes adeò asperant, quin post pauca amœniùs inde reluceat. Indolis probæ filius haud ægre sustinet culpam suam plecti paterna manu, à qua brevì blanditias sperat.

§4. Si vero, sinceròque in Deum amore ferêris, nunquam fugies sufferre aliquid. Explicari non potest, quàm tua intersit, quàm eximium bonum, amare & pati. Qui sperat cum Deo gaudere in æternum, non debet subterfugere patiendi hìc moram brevissimam.

§5. In cruce Jesum Redemptorem invenies, & per crucem quærendus est. Patiendi desiderio materiam tollis, dum ambitur, imminuitur. Quò plùs te subjeceris, ut onus accipias, eò minùs senties te premi. Nullum te affixerit molestiùs, quàm quod proprio arbitrio elegeris.

§6. Si quidquam in orbe esset nunc; aut fuisset unquam homini convenientius, vel utilius tolerantiâ adverforum, illud Deus haud dubiè daturus erat filio suo charissimo; at quoniam nec gloriosum quidpiam magis est, nec fructuosum, illum pati jussit, plùs quàm toleravit ullus homi-

hominum, aut toleraturus est in ævum.

57. Cultum religiosum impendimus trahi, è qua Deus homo altera duntaxat diei parte pependit: quidnî plus honoris adhibeamus cruciatibus & ærumnis, quas senis omnino lustris sustinuit, & non nisi in ipsa cruce absolvit.

58. Quotquot jam coelum beati incolunt, præoptarent usque ad ultimum iudicii diem arceri à conspectu Numinis felicissimo, quàm privari vel minimo merito, vel gratiæ particulâ, quam in humanis olim collegerunt, cum adversa Jesu amore sustinerent.

59. Expedit studiosè advertas ad animi tui sensa, nè quæ carni blantiuntur, spiritualia reputes. Neque enim omnis illa affectio spiritualis est, quæ in corporeos sensus non diffluit. Non firmis stat pietas fundamentis, quæ huic solo inædificatur. Etiam insoliti in Deum ardores quo spiritu turgescunt, eodem instar bullæ evanescent.

60. Genuinus ille, ac cæterorum princeps est amor, qui omnem Dei voluntatem animo forti sic complectitur, ut neq;

rogos inter, omniâque cruciamentorum genera, eam dimittat.

DECAS VII.

61. Seu gaudio perfundaris, seu mœſtiſſiâ: ſive cœlum ſolatia depluat, ſive mentem ariditas exſiccet, eodem ſemper vultu, adhærendum eſt uni gloriæ, cultuiq; Numinis, hanc viam niſi quis teneat, lentis paſſibus progreſſurus eſt ad virtutem: quin ſemper initiis ſuis inhærebit amando, & contemplando, quod ingenium aut natura ſuggeſſerit, non obſequendo Rationi, quæ ſpiritui famulari debet, ducùmque ejus ſequi.

62. Voluntas Dei eſt, ut tibi infra nihil vileſcas, te humilies, & generoſè vincas, multa patienter ſufferas, non commodis tuis ſtudeas, neque aliò tota mente feraris, quàm ut rerum omnium Moderatori placeas.

63. Gaudium, & triſtitia, ſi modum excedant, ex æquo nocent, mentemque turbant. Loquor de profuſa illa hilaritate ac mœſtitia, quæ ſenſum afficit, & temperiem ſolvit. Nam ſpiritualis commenfuranda eſt odio rerum aut amori, & ex earum cognitione perficienda,